

Ἡς χωρὶς ἀμφοῖν, ἀπλές. Natura sine  
 institutione cæca est; institutio verò  
 sine natura, deficiens; exercitatio au-  
 tem sine vtraque, imperfecta. Nimi-  
 rum tribus hisce opus est tanquam causis  
 necessario sociatis. Hinc veteres dicere so-  
 liti, Naturam incipere, artem dirige-  
 re, usum perficere. Nec possum, quin ad-  
 scribam verba Rudolphi Agricolaè digna  
 notatu: Hodie, inquit, plerique faciunt,  
 quod artis est, sed non ex arte; quip-  
 pe quam nullam habent, sed vel lon-  
 ga obseruatione, vel ingenii quodam  
 præstanti vigore. Quanto rectius ta-  
 men, quantò melius expedirent illa,  
 si certa artium ratione ducerentur?  
 Duratura enim seculis ingenia, &  
 quibus non præsentis solùm plau-  
 dant, sed quæ omnis posteritas mire-  
 tur, ea tum demum fiunt, quoties cum  
 optima natura ars perfecta coniungi-  
 tur. Monuit in hanc mentem futurum o-  
 ratorem Cicero; monuit poetam Horatius;  
 & manet omnino illud quod Aristoteles in  
 principio primæ Philosophiæ sapienter do-  
 cuit, illos qui sine arte agunt, in eo differre  
 ab artificibus, quod illi agant temerè & ca-

Lib. 2. De  
 inuent. c. 5.